C

LOCVS.

Passim in hortis nascitur, ac eorundem puluinos & areas sepit.

TEMPVS.

Circa diui Ioannis Baptistæ natales ferias, & Iulio potissimũ mense, baccis acuuis rubentibus frutex ille ornatur.

TEMPERAMENTVM.

Folia & fructus uehementer adstringunt. Mauritani frigidum & siccum faciunt in secundo ordine.

VIRES EX MAVRITANIS.

Baccæ acido sapore placent. Refrigerant æstuantẽ stomachũ: sitim restinguunt, quæ cum alios, tum maximè febricitantes excruciat. Cibi fastidia discutiunt, & appetentiam inuitant. Fœdam uentris proluuiem cohibent. Vomitiones sistunt, stomachum firmant. Alui profluuiũ quod bilis attulit, retinent: erosiones & uellicationes eiusdem tollunt. Sanguinis feruorẽ demulcent, & bilis acrimoniã domant. Seplasiarij succũ eius fructus condiunt, ad anni totius usum, Rob de ribe appellantes.

DE RHODIA RADICE. CAP. CCLVII.

NOMINA.

Rhodia radix cur dicta.

D

PODIA ῥίζα græcè, Rhodia radix latinè nominatur. Officinis ignota, germanicè Rosenwurtz uocatur. Rhodiam autem tam Græci quàm Latini dixerunt, quoniam contrita Rosas redolet. Quapropter Rosæ, quas Græci ῥόδα nominant, non Rhodus insula, ut imperiti putant, huic radici nomen fecerunt.

FORMA.

Radix rhodia Costo similis est, leuior tamen minorisq; ponderis, & inæqualis, odorem Rosarũ cum teritur reddens. Reliqua eius facies Telephiũ refert, nisi quod flore & semine carere uidetur, id quod Galenus etiã asserit, & in Corollario suo annotauit Hermolaus. Dioscorides etiam illorum nullam facit mentionem.

LOCVS.

Nascitur potissimũ in Macedonia. Nunc in multis Germaniæ hortis plantatur.

TEMPVS.

Radix autumno effodienda.

TEMPERAMENTVM.

Rhodia radix in calefaciendo secundi ordinis, aut certè tertij incipientis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Vtilis est capitis doloribus, si madefacta fronti & temporibus cum modico rosaceo imponitur.

EX GALENO.

Tenuium partium, & discutientis est facultatis.

DE SAMPSV-